

**Orsa de Sapientiae Excellentiae Corde
sive Orsa de Sapientiae Corde
vulgo ORSA CORDIS dicta
a sinico in latinum vertit
CHRISTOPHORUS FERRARIUS
emendavit, edenda curavit
Alexander Ricius**

Cum Catoblepas¹ Salvator profundam Sapientiae excellentiam egisset,
perspicue vidit vanos esse quinque acervos
ac cunctas aerumnas periculaque transgressus est.

Sarides,
species a vano non differt,
vanum a specie non differt ;
species ipsa est vanitas,
vanitas ipsa est species.

Et perceptio, notio, confectio, conscientia quoque tales.

Sarides,
id vanum firmaminum signum non nascitur neque perit,
non inquinatur nec mundatur,
non augetur nec minuitur.

Idecirco medio in vano abest species,
absunt perceptio, notio, confectio, conscientia ;
absunt oculi, aures, nasus, lingua, corpus, mens ;
absunt species, vox, odor, sapor, tactus, firmamina.

Abest oculorum plaga deinceps abest conscientiae plaga.

Abest ignorantia, deinceps abest ignorantiae exhaustio.

Absunt aerumna, conjunctio, deletio, via.

Abest sapientia, abest etiam adeptio.

Propter adeptionis absentiam,
salvatoribus evigilaturis
sapientiae excellentiae nisis
corde absunt obstacula.

¹ Seu : Theoreticus Salvator. Vide : « Orsa Cordis (Figmentum philologicum) » ; *Melissa*, 112, 17 Feb. 2003 ; p. 10 -13.

Eo quod absunt obstacula,
abest pavor ;
a cunctis somniosis notionibus procul exempti
extinctionem perficiunt.

Tritemporales Evigilati
Sapientiae excellentiae nisi
eximiam rectam aequam evigilationem adipiscuntur.

Idecirco scitur sapientiae excellentiam
valde divinum esse carmen,
valde clarum esse carmen,
supremum esse carmen,
inaequiperabile esse carmen,
valens cunctas aerumnas amovere.

Eo quod alethinum est neque inane,
effetur sapientiae excellentiae carmen,
quod carmen sic effatur :
Gêthei gêthei paragêthei parasyngêthei Bodie esbeka
[Gressa gressa pergressa percongressa Bodi se vacua]